

Barbara (Zapolnia).
Sigismundus I Rex Pol.

Cricii Andreae: In augustissimum Sigismundi Regis Poloniae et Reginae Barbarae connubium Carmen. Joa. Haller. 1512.

In Augustissimū Sigisimūdi Regis Poloniae: ⁊ reginae Barbarae connubiū Andreae Critij scholastici Posnaniensis Carmen.



Joannes Solfa de Trabel Baccalaureus 1507
Magister factus 1512

Phaleucũ hendecasyllabũ Magistri Joannis Solfa Lectori.

Cultũ si te iuuat poema Lector.
Si te forte lepos tenet propertij:
Delectat Venꝰ aut Catulliana:
Tu: blandum Critij noui poetae
Hoc mercare leui triente carmen.
Candens: dulciculum: nitens rotundum:
Quod regi cecinit: puellulaeq̃
Reginae: modulis Maronianis
Quae formosior est magis Ligustro
Quae concinnior est magis Diana
Quae vincit Paridis profecto nympham
Et cunctas veneres cupidinesq̃
Quam sic: Nestoreum sequetur aeuum
Noctem lucida dum sequentur astra
Dum siccas polus incitabit arctos
Lector Palladie Uale cateruae

Jodocus Luduuicus Decius.

Quae tantum gremio retines Posnania vatem
Gaude: nam magnum percipis inde decus
En quali sacras ornauit carmine tedas
Quas subijt fausta rex celebrandus aue.

¶ Joannes syluius Amatus Siculus Juris vtriusq̃ doctor Christofero Sidlouetio: viro clarissimo Castellano Sãdomiriensi: & Vicecãcellario regni Poloniae meritissimo Felicitatẽ.

Nihil mihi vir clarissime contingere potuit optatius: q̃ ipse rogares: qui mandare poteras: vt sacrum inuictissimi ac sapiẽtissimi regis Sigismũdi Epithalamiũ promereretur. Equidem in secundis semp habui perpetuũ in te obseruantiae meae studium (cui nedum gaudens: sed etiam glorians seruio) cũctis patefacere: nũc quãdo industria iudicioq̃ meo vti voluisti: quadam mihi a te donatus immortalitate visus sum. Etsi te imprimis virum honestatis: virtutis: probitatis: iusticiae: temperantiae: fortitudinis: & omnis officij: ac decori obseruantissimũ: deinde germanũ fratrẽ illũ: afflictorũ omniũ asylũ: diuũ alterũ Nicolaum: tibiq̃ simillimũ: postremo latus omne inclytae domus tuae sedulo pro virili mea demereri connitor (nam qui bona et vera fide deũ colit: amat & sacerdotes vniuersos) medius tamen fidius tantũ a te honoratus: ne dicam rebus quidẽ: sed quibus verbis respondeam non comperio. Fortuna (ingenue fateor) tua nullam remunerãdi vicem cupit: quia nulla eget: & libera est. mea vo nulla pollet: nullam habet restituendi facultatẽ. Sic beneficia tua: vt maiestate praecedunt: ita mutuũ non reposcunt. Vires meae vt egestate premunt & corruũt: ita nulla ferme gratitudine vti: nullo certare officio queunt alio: q̃ (quod solum nostrae opis est) eas habeam gratias: quas vix ausim agere aut animo comprehendere: non referre. Foelix igit es: qui inenarrabili animi foecũditate: incredibili naturae bonitate: summa fortunae amplitudine tantum soles prodesse bonis: quantum sibiipsis vix licet optare. Est pfecto generosi excelsiq̃ animi ac pculdubio quidẽ omni magnifici iuuare mortales: erigere afflictos: opitulari miseris: fessis subuenire q̃ plurimis: & hac vna via altum scandere coelum ampliũq̃ tenere elysiũ: te deniq̃ ipsum deo (q̃uis hominẽ) simillimũ reddere. Hinc tibi oẽs ad vnũ concilias: emãcipas: ac deuincis. Quid illa quae summa ac potius sola in te sita sunt: augusta & procera statura: conspicua & singularis forma: speciosa decoraq̃ facies. Sed haec fortunae aut naturae vident: illa vo animi & verae virtutis: quae tanq̃ in coelo stellae in te vno splendent: alta bonitas: Caluiq̃ sanctitas: psens comitas: Lelijq̃ lenitas: rẽperata seueritas: Catonisq̃ grauitas: spectata temperantia: maiorisq̃ Gracchi cõmendabilior modestia: aliaeq̃ dotes innumerabiles: quibꝰ &

omneis homines:⁊(vt dicit)ipsos montes ad te amandū:colendū:venerandum allicis. Adeo es verae virtutis amator:inclytae probitatis studiosus:morūq; sanctissimorum cultor: vt boni viri nomen iampridē adeptus sis:⁊ in eo consenescas. Et quidem illius quem Socrates:Plato:Panetius:Cicero:⁊ reliqui nobilissimi philosophi:qui sapientiā lris tradidere:tantope exquirentes:nunq̄ inuenire potuerūt:sed imaginati tm̄ sunt. Regere vo ⁊ regi vsqueadeo soleas magistra iusticia:salutari prudētia : naturali atq; coelesti sapientia vt alter:sed longe praestātior Mecoenas:alterū Augustū caesarē nostrū omniū quot fuerunt:quot sunt:quot alijs erūt in annis praecellētissimū ex ephebis ⁊ alere ⁊ educare ad hoc vsq; aeui vnus meritus sis. Nec mirū tamen id cuipiā videri profecto debet:cū tam amabile:tam hospitale ingeniū prae te feras: vt a summis terrarū principib⁹ paterno astringēdus amplexu meritissimo sis. Sed de te sepius:⁊ plura quidē alias. Epithalamiū quod pangi ⁊ in manus hominu venire poposcisti:verecundiae meae scilicet spolium cum primū legi consecutū est. Tam enī perite ⁊ concinne:tam modulate ⁊ dulciter Andreas critius noster:iuuenis candidissim⁹:hoc est sine iactura desidiae doctissimus absoluit : vt liquido adiurare possim: huic Polonae iuuenturis ad poeticam maiestatem aequari neminem: Nam vt melleam eius musae modulationē:vegetā ⁊ sublimē alacritatem missam faciamus:equidem summa sic appetit vt non decidat:in illa poematis inuētione:iucunditate:genuina euigilataq; rerū omniū serie primas habet. Dicet fortasse quispiā de asotorum:liuidoꝝ:imperitorūq; turba:diluti salis:⁊ fellis ignauus:caeculus:sciolus:rācidolū qddā balba de nare locut⁹: Hūc tu nimiū diligis. Egdē diligo hūc:sed syncere diligo:de quo etiā seuere iudico:⁊ id quod sentio dico. Cur enī dignitatis ⁊ eloquētiae noīe a me diligi iuuenis ornatissim⁹ ⁊ dignis celebrari laudibus nō debeat : qui solet hanc patriam oēm ſz ingenio ⁊ eruditione sua honestare? Amusoteros essem si iudicare non possem:aut certe malign⁹ si laudare nescirem. Quamobrem magis laconiae breuitati q̄ multi iugis paginis studens:decreui versibus claudere nonnullā tanti iuuenis laudatiunculam. Bene ac foeliciter vale eximium praesidium ac dulce decus meum.

Q: laetata suo est docta Verona Catullo:
  Cum Torquate tuum conderet ille thorum.
Quam gauisa suo est facili Sulmona poeta:
  Cum faustos Fabi ferret in astra lares.
Quam se Parthenope Statio iactauit alumno:
  Cum caneret Stellae nobile coniugium.
Tam nunc se Critio generosa Polonia iactat:
  Qui celebrat thalamos Sigismunde tuos.
Ut te nostra pium venerantur saecula regem:
  Sic canet hunc olim Dedala posteritas.

Ad diuum Sigismundum Regē Poloniae inclytissimū.

Accipe carmen inops placido rex inclyte vultu:
  Quod cecinit thalamis rauca cicuta tuis.
Si mea turgeret fulgentibus arca Philippis:
  Offerrem larga munera digna manu.
Offerrem pateras aurūq; micante Piropo:
  Et quicquid Libicus gemmifer amnis habet.
Sed mihi diuitias Saturnia Juno negauit:
  Quas fortuna tamen ceca fugaxq; regit.
At quae Palladia conduntur dona lucerna:
Haec neq; tempus edax:trux neq; Parca rapit.

SYLUA.



Phoebe decus vatū:pulcherrime Phoebe deoꝝ
Conspiciende coma:plectroq; insignis ⁊ arcu
Huc ades:⁊ numeros tecum turbaq; nonenā
Affer:⁊ Aonijs mea pectora prolue lymphis.
Ut qd tāta sibi(subijt quae moenia Bacchi)
Pompa velit:nostri cur tantum splēdida luxū
Principis aula gerit:cur gaudia festa:chorique
Totum plus solito regnum inuasere Polonum
Concepisse queam:Clarioq; effundere cantu.
Nec me smyrneus valeat superare poeta
Nec qui Castalijs appotus fontibus alto
Carmine Troianos latias traduxit in oras.
S ed quidnam video:quis tantus in vrbe tumultus?
Quodue paratur iter:quem cogimur ire sub axem?
Dic age Calliope:simul hic quis pectora clangor:
Nostra ferit:resonant pariter mare sydera montes.
C erno praeire viros ⁊ timpana ferre tubasq;:
Cristatos pueros auro gēmisq; micantes:
Innumerosq; equites miro splendere paratu.
Tot torques:bullas:segmenta monilia cerno:
Quot nequit aut calamus velox aut lingua referre.
H as autē iuuenū fulgentes vndiq; turmas
Nauiger en sequitur spumanti sonipede Lucas:
Pene puer celso:sed iam spectandus honore:

Principis in solio magnis dat iura Polonis
Ingenio praestans opibus: probitate: fideq;
P arte alia morum specimen virtutis imago
Cristifer: aurato gemmatum calce chorusctus
Exhortatur equi: referens grauitate Catonem
Nestora consilio: mensa dapibusq; Lucullum
Quiq; Patroclus erat: fidus qui semper Achates
Principis ⁊ rerum custos ⁊ cura suarum
Nunc apices regni: nunc fasces scandit auitas
H os inter medius (ceu surgens oceano sol)
Magnanimo portatur equo ⁊ monstratur ab omni
Splendor pontificum: nostri laus prima senatus
Piniger antistes: sub cuius gratia vultu
Multa nitet: rutilo residetq; in lumine Cypris
Cui dedit ingenium virgo Tritonia et artes
Diuitias Iuno: sacrum coelestis honorem
Iuppiter: atq; caput veterum prudentia rerum
Huic vtinam similes ferrent Lechia plures
Regna senatores: aures dormiret in ambas
Rex pius ⁊ nullos sentiret patria casus
Hic est doctorum fautor: virtutis amicus
Et famae eximius nunq̄ morientis amator
Huic quodcūq; habeo fieri quodcunq; merebor
Acceptum refero: solum veneror q; patronum
Huius lanificae donec mea stamina parcae
ducent: immensas curabo extollere laudes
Per mea bracati noscent hunc carmina Medi
Noscet fortis Iber: noscet Garamantes adustus
A t iam Pegaseum suffundit musa liquorem
Tandem concipio magnorum arcana deorum
T hrentia pannonijs arx est sublimis in oris
Altaq; verticibus tangentes sydera turres
Clara domus Stephanum: clarisq; referta tropheis
Cui non Gaza Midae: nō Croesi diuitis arcae
Aequari possent opibus: nec Persa: nec Indi
Hac sata nutritur forma praestante puella
Sed probitate magis: castoq; decora pudore
Virgo: Polonorum veteri quoq; sanguine regum
Prodita maternae referens primordia stirpis
Hanc sibi proposuit thalamo sociare iugali
Sismundus princeps: sacroq; addicere nexu
Cum qua venturos: ⁊ dulces exigat annos
Sic visum est superis sic tres sua fila sorores
Voluūt: aeternū genus hoc vt regnet in aeuū

Hinc delecta sui mittit tria culmina regni
Quo firment stabili Paphiae solatia verbo
Et sponso optatam properent adducere sponsam
Haec est causa viae: tantiq; haec causa paratus
O caelebranda domus: caelebrandaq; Threntia rupes
Scribere quis poterit: quis tantis dicere verbis
Quantum vos decus: ⁊ quantum genuistis honorem?
O foelix virgo tantum sortita maritum
I bis praeclarā Gracchi regina per vrbem
Delicijs nulli: nulli splendore secundam
In qua posthabita resider Venus aurea Cypro
Doctaq; post versas Pallas consedit Athenas
Hic statuere alta cunctis plaudentibus arce
Et variae pictis: auroq; micantibus aulis
Nupti nupta noui: digitoq; notaberis omni
Hic tu conspicies regali fulgida luxu
Atria conspicies immania saxa columnas
Artificis miras species superantis Apellem
Celatasq; trabes Latioq; palatia structu
Quae longe Assyrium praecedunt arte laborem
Hic tibi digna aderunt toto spectacula mundo
Et ludi atq; chori seu quicquid musica blandae
Vocis habet: quicquid tangitq; teritq; vel inflat
O foelix virgo tantum sortita maritum
C onspicies ingens regnum: cui maxima rerum
Copia cunctarum perfossae plurima terrae
Munera longinquas quae deducuntur in oras
Et licet hi non parturiant auraria montes
Huc tamen argenti plus importatur ⁊ auri
Quā tagus aut ganges aut profert Thracius hebrus
Adde tot ingenuos animos generosa virorum
Corpora florentem bello cultuq; iuuentam
Non fraudes habitant: non tetra venena bibunt
Sed grandeua fides: comitas conuiuia regnant
O foelix virgo tantum sortita maritum
C onspicies vicina etiam tot regna tot vrbes
Et varios populos opibus ferroq; potentes
Qui iuga victricis gestant imposta Poloni
O felix virgo tantum sortita maritum
D eniq; conspicies multis in milibus illum
Cuius tu niueis coniunx potiere lacertis
Quā Qui vultu: ⁊ charite proceres supereminet omnes
Non aliter q̄ cum medijs pulcherrima syluis
Fraxinus auricomū tollit super aethera culmen

Talis erat quondam pulchri Priameius heros
Oris Alexander Danaum qui coniuge regem
Prodidit in cineres ⁊ pergama celsa redegit.
At longe hic aliter nostrae qui attrita coronae
Sceptra gerens priscum nomenqȝ decusqȝ reduxit.
Illius augustam quis tam nasutus ⁊ hostis
Contemplans faciem: quis dulcia lumina cernens:
Concinnos artus: linguam gestusqȝ benignos:
Non totus stupeat: non hunc (ceu numen) adoret?
O foelix virgo tantum sortita maritum:
Si genus exquires: non hoc sublimius vllum
Inuenies cuius maiorum gloria regum
Compleuit totum factis insignibus orbem.
Necnon caesareo productam sanguine matrem.
Tot reges fratres externaqȝ sceptra tenentes:
Totqȝ duces late generos turbaqȝ nepotum
Comperies Hecubae qualem nec regia vidit
O foelix virgo tantum sortita maritum
Quid dotes animi referam: quas nulla canendo
Vox numerare potest: licet ⁊ Grineus Apollo
Cum musis veniat veniat cum fonte Caballi
Dicere non posset quanta est prudentia regis
Et virtus animus constantia mentis ⁊ oris
Cura vigil regni simul ⁊ tolerantia: quanta
Iusticia: ⁊ faciles miseris mortalibus aures
Dicere nec posset laudes: partosqȝ triumphos
Tot domitas circum gentes Moscosqȝ fugatos
Innumeros: ⁊ nunc pulsos a finibus hostes
Vt taceam Valachos: quorum ferroqȝ doloqȝ
Tot vicinorum completa est sanguine tellus
Quam tumidos habuere animos: q̄ȝ turgida corda
At nunc Sismundo victi terraqȝ cremata
Demisere oculos ⁊ regia iussa capescunt
Hic pater est patriae famaeqȝ redemptor auitae
Iste Polonorum pugnando restituit rem
O foelix virgo tantum sortita maritum
Ergo age progredere thalamoqȝ recumbe superbo
O foelix virgo tantum sortita maritum
At tu maxime rex placidam complectere sponsam
Et curate breui puer vt formosus in aula
Ludat Sismundus patrij spes altera regni
Qui referat magnum vultu ⁊ virtute parentem
Cuius successor vestigia clara sequatur
Deuictumqȝ suis teneat sub legibus orbem.

HYMENAEUS.

Hymena nunc pueri laetis caelebrate choreis
Et date lasciuo carmina grata deo
Faustaqȝ dicantur tam claris omnia tedis
Altius in terris nil quibus esse potest.
Absit vesta procul vitae praefecta pudicae
Castaqȝ virgineo septa diana choro
Sed venus incumbat thalamis mensisqȝ liaeus
Pronuba sit coniunx ⁊ soror alma Iouis
Ipse autem veniens musis comitatus Apollo
Mulceat aurata pectora laeta Cheli
At tu connubij duxo venerabilis huius
Hymen ades foelix: o himen himen ades
En te turba petit: te totus concinit orbis
Te siluae pecudes flumina saxa vocant
Vngatur pingui limen postesqȝ lupino
Et tu te dignas sparge marite nuces
Solue pudiciciae princeps pulcherrime zonam
Et demas sponsae florea serta tuae
Et te formosa facias cito prole parentem
Qua capiant populi spemqȝ decusqȝ tui
Quae tibi longaeui perages dum Nestoris annos
Succedat patriae gloria tanta suae
Quam timeant hostes cui totus seruiat orbis
Vincenti priscos marte: togaqȝ viros
Innuat ista deus quae dictat Apollo canenti
Innuit heus foelix: o himen himen ades
At tu virgo tuo non aduersare marito
Cum quo te stabili foedere iunxit amor
Aspice num videas: in tot nunc milibus vnum
Cuius forma tuo par sit habenda viro
Non est cur lachrymes populi regina potentis
Diceris: ⁊ stirpis gloria prima tuae
Quare age tempus adest: thalamo procumbe iugali
Et subeas sponsi brachia grata tui
Desere vestalis consortia pura cateruae
Iam tibi Lucina est: iamqȝ colenda Venus
At vos o pueri vocali dicite cantu
Hymen ades folix: o hymen hymen ades.

Carmina Saphica.

Uirgo Siſmundi noua nupta regis
Scin deus qualem tibi dat maritum
Cuius inſignis penetrauit atros
    Fama ſub Indos.
Cui dedit pulchrum Uenus alma vultum
Et caput Pallas: pietaſq; mentem
Quiq; victrices agitat ſecundo
    Marte triumphos.
Juno ſacrarum dea nuptiarum
Juno clamoſi medicina partus
Juno ſuppremi ſoror atq; cara
    Nupta tonantis.
Tuq; plorantem Juueni puellam
Que thoro ſiſtis violaſq; zonam
Claraq; Cypreae Bromijq; proles
    O hymen hymen.
Euge foelici properare greſſu
Nuptias magni celebrare regis
Ut bona nobis bonus inde creſcat
    Arbore fructus.

Cantilena in Tranczyn.

Tu ne haec es virgo toto nunc inclyta mundo?
    Tu ne Polonorum principis vxor eris?
Tu ne es quam propter regeſq; duceſq; vocantur?
    vt videant manibus ſceptra ſuperba tuis.
Ut videant regnum immenſum populũq; potentem:
    Reginam domini ferre ſub aſtra ſui.
O foelix virgo: foelicia tempora quae te
    Ad tantum patriae progenuere decus.

¶ Cantilena poſt coronationẽ.

Aſpice nunc regina tuũ ſublimis honorem:
    Quod diadema geris: quantaq; ſceptra tenes.
Aſpice nunc regnũq; potens populoſq; ſubactos
    Pontifices proceres innumeroſq; duces

Aſpice tot cultos iuuenes: generoſaq; corda:
    Aſpice diuitias parta trophea ſimul.
Haec tibi cum pulchro donarunt fata marito:
    O nimium fauſta Barbara nata die.
Attamen hoc tua clara domus tua forma meretur.
    Uirgineus rara cum probitate pudor.
Dij faueant ſceptriſq; tuis thalamiſq; ſacratis
    Tantum vt perpetuo regnet in orbe genus.

¶ Cracouiae Ex Aedibus Prouidi viri dñi Joannis Haller. Anno a ſalutigera incarnatione Milleſimo qngenteſimo ac duodecimo. Tertiodecimo Kalendas Martias.



